

Et hunc finem studiorum uestrorum uobis proponere debebatis, ut ea ad dandum consilium Reip. & ad docendas Ecclesias & retinendam doctrinam religionis conferenda esse statucretis, quorum nihil praestare poteritis sine perfecta doctrina. At perfecta doctrina nulli continget sine disciplinis inferioribus.

Cum hac cogitatione animus conformatus est, proxima de ordine discendi deliberatio esse debet. Neq; ego hoc loco dicam quanta sit uis ordinis in genere quae res & nota est, & latius patet quam ut hic explicari possit. Si agricola prius serere uelit, postea arare, aut si uelit sub canicula sementem facere, sub bruma arare, labor atq; impensa perierit. Ita si in percipiendis disciplinis non seruetur iustus ordo, profectus omnis desperandus erit.

Bonum malum fit, aiunt non datum in tempore, Proinde etiam optimarum & maximarum rerum studia nocent, si non apto tempore suscipiantur, Quare maiores nostri ut ordinem discendi constituerent, certos gradus quasi classes excogitauerunt, per quos ordine ab inferioribus artibus traduceretur iuuentus ad superiores. Nunc quasi perfractis illis repagulis nullo ordine res geritur, Subito sicut jungi nascuntur nobis Theologi, Iurisconsulti & Medici, sine grammatica sine dialectica, sine ratione

ne